

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118294**

§. 13. Insula Cyprus ab Ægypti Sultano invasa, & vastata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

Sæcul. XV.

A C. 1426.

§. XIII.

*Insula Cyprus ab Ægypti Sultano invasa, & vastata.*

Pogg. l. 5.

Blond.

3. Dec. 2.

Monstrelet.

l. 2. c. 14. 30.

36.

Currente hoc anno Ægypti seu Babyloniae Sultanus Insulam Cyprum infestis armis invadens, misere devastavit. Juvenis hic Princeps, quem non modo generosa animi indoles, sed ingens quoque vindictæ cupido ob erectam sibi a Petro Cyprorum Rege Alexandriam stimulaverat, valida classe, ac fortissimo milite cinctus, pluribus præliis prospero Marte initis Cyprios profligavit. In postremo certamine ipsum Regem Joannem cepit, Henricum ejus fratrem Galileæ Principem trucidavit, & Nicosiam, ceteraque omnia loca occupavit, sola Famaaugusta excepta, quæ Genuensium præsidio munita erat; reliquam vero, totamque Provinciam immani crudelitate vexavit. Rex Joannes libertatem suam ducentorum millium aureorum lytro, atque annuo quinque millium tributo redimere coactus est, ex quo reliquos vitæ suæ annos in Regno suo tranquille transegit. Monstreletus ternam hujus Sultani in Cyprum excursionem recenset, primam Anno quadringentesimo vigesimo tertio supra millesimum; alteram Anno salutis millesimo quadringentesimo vigesimo quinto; Tertiam denique sub annum a Christo millesimum

num quadringentesimum vigesimum sex-Sæcul. XV.  
tum. In hac ultima Princeps Galileæ A.C. 1426.  
occisus, Rex captus, & dein Cairum ad  
Sultanum deductus est. Dux vero Bur-  
gundiæ fratrem suum spurium Regi in  
auxilium misit, cumque is durante Regis  
Cyprii captivitate navale prælium com-  
misisset, Barbari tanto terrore concutie-  
bantur, ut captivum Regem sese interfe-  
sturos comminarentur, nisi Christiana  
classis sine mora portum repeteret; quod  
& factum est.

Æneas Sylvius postremam Sultani *Æn. Sylv.*  
expeditionem non memorat, recenset ta- *in Asia c. 97.*  
men navem quamdam Venetam Hiero- *& Comm.*  
sollymis redeuntem ad Cypri portum ap- *lib. 7.*  
pulisse, sexque alias Catalaniæ naves, quæ  
paulo post subsequebantur, Sultani clas-  
sem exiguo milite, ceteris deprædandæ  
Insulæ intentis, instructam animadvertis-  
se, ideoque Catalanos Venetorum Navar-  
cho auctores fuisse, ut depositis signis, ac  
velis sub tenebrarum auspiciis Ægyptio-  
rum classem aggredieretur. Albescente  
autem luce infideles, Venetam navem non  
nisi solam, ac navalibus vexillis destitu-  
tam comperisse, eaque vi occupata simul  
tres peregrinantes comprehendisse, atque  
ad abnegandam Christi fidem irrito co-  
natū sollicitatos lapidibus oppressisse, mu-  
lieribus Alexandriam abductis, has vero  
paulo

Sæcul. XV. paulo post a quibusdam Mercatoribus Ve-  
A.C. 1426. netis oblato pretio fuisse redemptas.

## §. XIV.

*Cardinalium electio.*

*Ciacon. de Rom. Pontif. Hist. Eccles. Burgdeg.* **H**oc anno Pontifex quatuordecim crea-  
vit Cardinales, quos inter Hugo Lu-  
signanus Regis Cypri Filius, cuius supra  
meminimus, antea electus Nicosiensis  
Archiepiscopus, numerabatur.

Invenimus in Chronico cujusdam Au-  
toris, quem Spondanus ad hunc annum  
Numero V. allegat, Ægyptii Sultani epi-  
stolam ad Pontificem hunc in modum  
scriptam: *Non mireris, si te verbis saluta-  
tionis non exquirimus, cum te habeamus  
capitalem hostem, & hostis hosti non debet o-  
rare salutem.* Datum Baruch in mense Cas-  
teu. Aliam, quæ adhuc magis barba-  
ram sapiebat ferociam ab eodem ad Prin-  
cipes Christianos exaratam Monstreletus  
refert, qua omnino Sultanus eos ad se  
accedere, fidemque deserere jubet. Ve-  
rum literas hasce confictas, & non nisi  
immaturi cujusdam ingenii partum ex  
joco duntaxat prolatum merito conjici-  
mus. Certius illud est, quod Sultanus  
iste paulo ante Christianis prohibitam fa-  
cri sepulchri visitationem ob lucrum sibi  
inde proveniens mox revocaverit; quo  
facto Ludovicus Comes Palatinus Rheni,

&amp;